



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,  
in visitationem Saxoniam**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1564**

De adoratione huius Sacramenti, cap. 21.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35803**



## De adoratione huius Sacramenti.

## CAPVT XXI.

## VISITATOR.

**P**Aulus ait. I. Cor. II. quod cibus iste non debet velut cōmunis cibus existimari, sed pro corpore Christi: & arguit eos, qui absque timore velut cibum communem sumunt.

**ECCLE.** Quamuis nullum peccatum faciat, qui sacramentum manibus attrectat, fa-

teor. Neque tamen bonum opus in hoc facit: Deus enim nullum iocum ferre potest. Sancti possunt adhuc iocum tolerare: sed cum Deo longè alia res est.

**DOCT.** Cur ergo petulanti permittis, vt domi attrectet ad facietatem vsque?

**ECCLESIA.** Vt contra factuas leges Papæ habeam quod dicam.

**BARRA.** Vbi externa adoratio sola est, ibi mera hypocrisis est, & nihil quam subsannatio Dei & exhibetur Deo honos nihilo melior quàm illorum fuit, qui flectentes coram Christo dicebant, Ave Rex Iudeorum. Et tamen his cæremoniis, hoc genere adorationis, omnia templa, monasteria, breuiter, omnes anguli pleni sunt, & totus cultus Papistici regni nihil aliud fuit, quàm assidua subsannatio sub hac voce, Ave Rex Iudæorum.

**MART.** Est ne sic Dei specialis oculus & respectus, quo Ecclesiam Romanam præ omnibus aliis (vt olim diximus) respicit?

**BARR.** Non ignoras, quid

*In lib. Visi-  
ta.*

*In 500. art.  
art. 398.*

*In serm. fer-  
ria 5. post  
Inuocauit.*

*Ibidem art.  
401.*

*Ibidem art.  
395.*

*Ad Val-  
dēs de Eu-  
charistia.*

*In declara-  
tione quo-  
rundā art.*



DE ADORATIONE

*Vbi supra  
ad Vvalden  
ses.*

*Ibidem ad  
Vvaldenses.*

*Ibidem.*

*Matt. 2.*

*Ioan. 9.*

*Ibidem.*

nunc de illa Ecclesia sentimus, Potissimum  
verò sic ridetur Christus & Deus festo Pasca-  
tos & corporis Christi, in omnibus Missis, vt  
vocant, in pompa & processione, vbi in auro  
& argento circumfertur Eucharistia. Ibi mul-  
tum honoris externi exhibetur Deo, qui ta-  
men nihil aliud est quàm derisio Dei, cum ab-  
sit fides & spiritus. MART. Qui non credit  
esse ibi corpus & sanguinem Christi, nimi-  
rum, si ille neque spiritualiter neque corpora-  
liter adoret. Qui autè credit, quemadmodum  
credendum esse ostendimus, ille certe vel sine  
monitore corpus & sanguinè Christi reueren-  
ter & religiose tractabit. BARR. Hoc qui-  
dem verum est, Martine, Est nihilominus di-  
scrimen aliquatenus inter Christum in cœlo  
sedentem, & in sacramento aut cordibus  
credentium existentem. Nam ideo transla-  
tus est in cœlestia, vt ibi eum adoremus, &  
eum confiteamur dominum cœli & terræ,  
mortis & vitæ. At in sacramento & cordi-  
bus spiritualium seu Christianorum non est  
ideo proprie vt ibi velit adorari, sed vt viui-  
ficet tales credentes. MAR. Ex hoc tamen  
non consequitur, prorsus ibi non esse adoran-  
dum: Nam multi adorabant eum conuersan-  
tem in terra, & ipse quoque eos non reiicit,  
vt Magi ex oriente accurrentes, Cœcus ille  
Euangelicus, & plerique alij calamitosi.  
BARRA. Sed liberum ibi reliquit, pro lo-  
co & tempore adorare, sic & hic in sacramento



liberum relinquere oportuit, ut sciamus de hoc nullum esse præceptum Dei, aut Christi, ut in sacramento aut cordibus credentium adoratur. Quamobrem dicimus nunc, illos non esse damnandos, nec hæresis accusandos, qui sacramentum non adorant, cum non sit præceptum, nec Christus in hoc ibi adsit. **L V T H.** Risi olim Sophistas, dicentes, periculum Idolatriæ cogere, ut non sit ibi panis & vinum verè. Si enim accidentia, quæ vident, non adorant, sed latentem ibi Christum, cur adorarēt panem, quem non vident? **B A R R.** Sed tamen ubique vides illam adorationem sacramenti non esse sine periculo, ubi fides & verbum non exercetur. Quare tutius forsan fuerit, cum Apostolis non adorare, quam pro more illo vulgi adorare, non quod prorsus impium per se sit adorare, sed quod in adoratione plus inest periculi, quam ubi omittitur. **ECCLE.** Ideo nullum festum odi magis unquam, quam festum corporis Christi: Cum autem processionem prohibere non possim, id saltem peto, ut dimittatur sacramentum stare intus. **B A R R.** Plerique etiam se torserunt inanibus quæstionibus, quomodo anima Christi, deinde tota diuinitas, Pater & Spiritus sanctus sint in hoc sacramento. Mirum verò, quod iidem non solliciti sunt, quomodo tot Chiliades angelorum, sol & luna & sidera immensi numeri, & hæc tota rerum vniuersitas simul cum Deo suo sint in hoc sacramento. **M A R.** Quo ruis Barra-

*In cap. Babilo. cap. de Eucharistia.*

*Ad Valdenses ubi supra.*

*In 500 art. art. 427.*

*In sermone de festo corporis Christi.*

*Ubi supra ad Valdenses.*

*Ad schedulam inhibitionis Stulpensis.*



DE ADORATIONE

ba? Res non est parua profectò, Christum esse sub vtraque specierum integrum. Certum enim est, nec Boëmos, nec Lutherum, nec vllos vnquam hæreticos contrarium sapuisse. Et si enim Pighardi Christum negent sub vlla specie contineri, non tamen asserunt eum non nisi sub vtraque simul integrum, aut in vtrâque diuisum. At tu longè peius hic à Christo animam & diuinitatem diuidere tentas. BARR. Deus non iubet me scrutari, quomodo diuinitas, filius & pater, filius & spiritus sanctus sint in sacramento: Satis mihi sit, me scire, quòd verbum hoc quod audio, & corpus quod accipio, sit vere verbū & corpus Christi & domini mei scrutationem tam imperuestigabiliū profunditatum: relinquo sophistis vaniloquis, quibus cura est, quomodo totam diuinitatem in sacramento incantent. Nobis sat sit verbum quod audiuius.

COCLÆVS.

*Quid hîc dicam, Illustiss. Princeps? Quem contra horrendissimas ac nefandissimas istas desperati Monachi blasphemias Mosē implorem? quem Phinees, quem Heliam, quem Mathatiam? Quis Suermerorum talia docuit ante aut præter hunc, omnium Suermerorū patrem? Vt igitur per dolorem aliquanto liberius dicā, ipsius Lutheri verba, se ipsum cōdēnātis, recēsebo. Tā turpes porci sumus (inquit) nos perditū*



Germani, maiori ex parte, vt neq; disciplinā, neque rationem habeamus. Et quando audiimus de Deo, reputemus illud perinde atque mimorum & ioculatorum fabulas. Talia habentur nunc dicta & facta in vulgari populo cōtra sacramentum, qui per Suermerorum doctrinam seductus est, vt aliquis potius deberet mori, quā vnum habere aut scribere sermonem ad eos. Si ergo tu (Illustriss. Princeps) hæc Lutheri tui dicta & scripta tam impia, quæ supra retulerūt fratres eius tergemini, vel audisti vel legisti, & non vindicasti honorem Dei tui: Quid vis, quæso, vt de te sentiamus? Vides hic qualem ferat sententiā ipse Lutherus, omnium harū impietatum antesignanus?

In lib. j. cōtra Zuingl. & Oecolā.

## De sumptione huius Sacramenti.

### C A P. XXII.

#### VISITATOR.

**N**on debent ad hoc sacramentum admitti, qui in manifestis iacent peccatis, adulterio, ebrietate & id genus similibus, & ab eis non desistunt. DOCT. Magni æstimatur periculum istud, sicubi particula aut guttula sacramenti huius absque voluntate nostra casu decidat. Quòd autem plerique ipsum in fœtidam contentiosāque animā petulanter suscipiunt, hoc pro nullo reputatur periculo. Qua-

In declaratione ser. de Eucharistia.